Krosnowski Nicolaus

Ostroszewski Venceslai Alberti Πρωτοτυπον amplissimorum in Ecclesiam et Rempublicam meritorum.

ΠΡΩΤΟΤΥΠΟΝ
Amplissimorum in Ecclesiam, & Remp: meritorum;

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI,

D. NICOLAI KROSNOWSKI,

Diuinâ prouidentiâ,

ARCHIEPISCOPI LEOPOL:
PERPETVI ADMINISTRATORIS ABBATIÆ CZERVINENSIS. &c. &c.

Ecclesiæ, Senatui, & Populo, exhibendorum.

Luci publicæ, in primordiis, ARHIEPISCOPATVS ILLVSTRISSIMI.

Per

M. VENCESLAVM ALBERT: OSTROSZEWSKI
Lycæi Academici Leopolieñ Rectorem,

Anno Incarnationis Dominicæ, 1645.

EXPOSITVM.

LEOPOLI,
Excudebat Sebastianus Nowogorski Typographus C. S. I.

IN ARMA PERANTIQVA AMPLISSIMÆ VRBIS LEOPOLIENSIS.



HEn fuge Parthe ferox, nec te obuia porta moretur,
Quamuis aperta manet, non tibi aperta manet.
Ciuibus illa patet: Scythycas premit illa Cohortes,
Huîc Leo magnanimus prouidet excubias.
Ergo Leonis ope, inuictissima viue propago,
Diues es ingenijs, fortis es excubijs.

Constantinus Brzuchowski
Stud: Scholæ Metr: Leopol.

CLARISSIMÆ VRBIS LEOPOLIENSIS, TERRARVM RVSSIÆ METROPOLIS, AMPLISSIMO, SAPIENTISSIMOQVE *SENATVI*;

PROCONSVLI, ET CONSVLIBVS DIGNISSIMIS,

Dominis ac Patronis meis longè Benignissimis;

S. & F.

DVÆ res ad offerendam hanc pertenuem opellam vestro nomini amplissimo, me excurrentẽ in præclaram, laudum materiem ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI NICOLAI KROSNOWSKI, ARCHIPRÆSVLIS nostri dignissimi impulerunt; Proconsul & Consules lectissimi. Cùm enim imprimis innumera in me, Lycæumq́ Ciuitatis Leopoliensis Academicum beneficia: tum honoranda Senatoris tanti amplitudo, vel leuissimis adumbrata documentis, haud mediocrem stimulum in animo meo excitârunt. Etenim cùm viuâ frequentissime memoriâ, primo ordine posita refrico beneficia, quæ laureatis Almâ Musarum virtutumque Parētis exhibetis semper hominibus; mihi profectò vmbratili Professori, de vobis ac de vestris ciuibus integerrimis nondum satis benè merito, ex propensa in me voluntate per quam accumulatè demonstrastis. Quis obsecro vt par est, illum quem omni genere scientiarum condecoratis? dignissimum viris candorem, deprædicare valeat? quem in me in regiminis mei perarduis principijs, & in cõponendis æstuosæ ac puluerulentæ palæstræ officijs, tanquam Platones sapientissimi, Licurgi prudentissimi, Legumlatores vigilantissimi, tanquam ex Amaltheæ cornu, effudistis? Quis deuincentem animos & in rebus humanis mirandum in modum approbandam humanitatem, in meis viribus reficiendis explicauerit? quæ apud vos præ cæteris Regni Sarmatici viris, omnino primarium locum obtinuit. Hæc enim munificæ liberalitatis propensio gentilitia vestræ clarissimæ Vrbis est virtus: cuius firmitate atq́ vigore, non modò collapsas Gymnasij Academici parietes restaurastis; verùm etiam laboriosi Præsidis literarum prouentus, quotannis ex ærario publico persoluendos, vberiores ex singulari

Vestra in me beneuolentia, reddidistis. Cætera verò erga Rempublicā Leopoliensem merita, ob summam illorum amplitudinem, iusto inuoluo silentio; dum in Patriæ vestræ liminibus, ea vos præstare video, quæ Romanæ facundiæ Parens Cicero, in Republica Romana popularia regnare exoptabat, Ornamenta. Quid enim est, (inquit,) tam populare, quàm pax? quâ non modo ij quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri mihi lætari videntur. Quid tam populare quàm libertas? quam non solùm ab hominibus, verùm etiam à bestijs expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis, quid tam populare quàm ocium? quod ita iucundum est, vt & vos & maiores vestri, & fortissimus quisque vir, maximos labores suscipiendos putet, vt aliquando in otio possit esse, præsertim in imperio ac dignitate. *Ita ergo Leopolim vestram ornatis, ornando promouetis, promouendo ad æuiternam felicitatem, Sollicitâ operâ, studio, charitate, incitatis, vt optimorum virorum pariterq́ Ciuium numeros expleatis. Accedit postea Pastoris vestri summa honoris maiestas, Ciuitatis Leopoliensis omnes angulos, illiusque Ciues, honesti rectique adamantes, nec non vos omnes ac singulos, benigno, charitatis collustrans affectu, vt eius præclarè gesta, in Ecclesiam Dei, Senatum perauguslū, atq; vltimæ sortis & conditionis homines exhibita, Vobis consideranda seriò persuadet proponere. Apertum enim manifestumq́ est quòd hunc literis, eruditione, grauitate, pietate, vitæ Sanctimoniâ, & altâ mente præditum Archipræsulem merita, in tam sublime dignitatis fastigium, cum spe ingenti nominis Vestri propagandi, euexerunt, extulerunt. Quibus iure meritissimo factis, non nomine Præsul, sed iuxta præceptum D. Ambrosij re ipsâ ac virtute debet nominari.* Sicut (*inquit ille*) Senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam nauigationis peritia, & singulos quosq; opifices, operis sui qualitas ipsos demonstrat actores: sic Episcopū, non aliter nisi Episcopalis operatio designat, vt ex bono opere magis quàm professione noscatur, plùs meritis esse Episcopus, quàm quòd nomine vocitetur. *Eiusmodi itaq́ vos Præsulem nacti, non inconuenienter vniuersi Ciuitatis Leopoliensis incolæ, quorum feruentissima desideria, hunc amplissimum Virum longo tempore expetebant, nunc in iucundā effundere animos debeant insimul Vobiscum exultationē. Quocirca gratulor & vobis, & vestræ Vrbi, munificentissimū ac Optimum Senatorem; sub cuius placidissimis gratiæ fauonijs, vt tutò conquiescatis, idipsum ex intimis animi mei recessibus iterum atque iterum exopto.*

Clarissimarum & Consultiss. Dominat: Vestrarum
Humillimus Seruus.

Hunc esse illum,
quem probi omnes meritô debeant imitari,
& amare.

Arist: in script: in ara Platoni construct.

N. D. A. A. P.



K. G. L. C. A.

Mireris Magni KROSNOVII Stemmata vera,
Egregiæ placidam ſimplicitatis ouem.
Quam nobis placidam ſolers natura creauit,
Inq; ſimul fudit nobilitatis opes.
Ergo ouium Paſtor Sanctiſſimus æthere paſcat,
Atque ſuam placido numine ſeruet ouem.

Nicolaus Sredzinski
Stud: Scholæ Metr: Leop.

ΠΡΟΤΟΤΥΠΟΝ
Amplissimorum in Ecclesiam, & Remp: meritorum.

SI quid excelsæ Tuæ virtuti, in hoc amplissimo Reipublicæ Polonæ Prytaneo accidere debuit ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE ARCHIPRÆSVL, profectò sublimis hæc Archiepiscopatus Leopoliensis prærogatiua, Tuis nunc humeris auspicato omine sustentanda. Te suum debebat lucrari possessorem. Quis enim alius virorum etiamnum permagna nominis commendatione dignissimus, conscendere hoc altissimum honoris fastigium, præter Te auderet? cuius manifesta præclarè factorum argumenta, ad seræ posteritatis Mnemosynon, quibus suis bonis Patriæ ciuibus, suspicienda extiterunt; vt non iniuria Potentissimus ac Inuictissimus Regni Polonorũ MONARCHA, perspicaci suæ mentis oculorumque acie, omnes cognitas habens Tuas actiones, Te ARCHIPRÆSVLEM Leopoli præficere desiderârit. Lætabatur non mediocriter tum temporis Serenissima ipsius Maiestas, quòd cum tantis virtutum ornamentis Virum, Ecclesiæ Dei, post fatalem vnius decessum, assignârit. Lætatur tamen magis, purpuratus prudentissimorum ordo Senatorum, quòd consiliorum ac mutui consessus fratrem, altiorem iam in Corona sua locum, videat felicissimè tenentem. Lætantur nobilissimi quique totius Regni Sarmatici Viri, quòd Tibi gu-

bernacula tanti honoris, tanquam de se optimè meritissimo sint concessa. Verùmenimuero Vrbis inclytæ Leopoliensis Viri, Tuo nomini à longo temporis interuallo addictissimi, cæteris Regni huius ciuibus, & in his maximè oris primarij, agnoscentes Te suum ARCHIPRÆSVLEM, iure quodam consociato videntur exultare. Si quidem benignissimo in Diuino cultu promouendo destituti Patrono, ne immensi Creatoris omnium rerum, debita veneratio infringeretur, Te maximũ Ciuitatis suæ Propugnatorem, simulque supremum Ecclesiæ Metropolitanæ Leopoliensis caput, cum ingenti animorum suorum desiderio, in conspectu vniuersæ Archidiæceseos, quàm primùm manere percupiunt; quorum intimam voluntatem, ardentem desiderio aduentus Tui dum adspicio, nullus mihi profectò terminus dicendi constitueretur, si exprimere vellem, cum quanto applausu, quantis studijs, quantis vocibus, Tuum in suam Vrbem ingressum, diu expectatum præstolarentur. Exploratum illi habebant per quàm impensiùs ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE ARCHIPRÆSVL, qualem Virum, perturbato ac turbulento hoc Reipublicæ tempore, singulari Diuini Numinis prouidentiâ, veluti cælestibus demissum ab oris, ad patentes orbis Borussiaci partes, sint adepti. Quod si impetu concitatiori vlteriùs progrederer, cognoscerem mehercule, quòd non modò istorum propensa in Te studia Te desiderant, verùm etiam municipia, coloniæ, agri denique ipsi, tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum Præsulem, tanquam Dominum hæreditarium requirant. Omnes insuper mirandum in modum,

modum, exoptantes desideratum sui Pastoris conspectum, cum festiua animi gestientis lætitia, ad ducendos excurrunt triumphos. Quæ ego cùm diligentiori trutinâ mentis considero, non mediocre in animo meo dubium exoritur, cuinam in solennioribus istis acclamationum vocibus, & in hac communi omnium lætitia, in primis mihi esset gratulandum; Vtrum deuotis Archidiæceseos Leopoliensis ouiculis, an Tibi ipsi ob emeritum per multos annos honorē: Vincit tamen nominis tui gloria, popularis multitudinis in gratulando præstantiam, atq; vt Tuæ recenti dignitati, nobis quæque fausta ac prospera pollicenti, applausus gratulatorios effūdam; seriò persuadet. Quos dum aggredior, non possum non commonstrare, quid in primis Ecclesia Metropolitana, cum cæteris in Rußiæ feracißimæ spatiosis partibus, suo regimini subiectis, ex Te suo Antistite sit consequuta: quid deinde conspicui publicæ tranquillitatis antesignani viri, Magistratus honore præsertim præfulgentes: quid insuper populus vniuersus, vestigijs continuè incedens superiorum, quid inquam hi omnes sunt adepti. Cognosces proculdubio ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE, si expandi vela orationis meæ patieris, & Tuæ gratiæ fauonijs, (quam spero pro tua in omnes admiranda humanitate, certò mihi affuturam,) vt ad portum perueniam exoptatum; me in enauigando tuorum meritorum oceano promouebis. Atque inprimis neminem latere potest ILLVSTRISSIME DOMINE, quòd Te lectißima æterni ac Præpotentis Dei Sponsa, in altißimo suæ Monarchiæ officio, superiorem cæteris Pastorem, ad

regendas sanguine precioso Saluatoris ac vindicis nostræ libertatis emancipatas oues, collocârit; necnon in salutiferis Domini mandatis errabundas, in viam æternæ beatitudinis dirigas, hoc munus lacertis Tuis imponere nequaquam perhorruit. An cui virorum alteri istud solium eminentiæ, laboris ac curarum refertissimum, præter Te debebatur committi? qui à primo iuuentutis flore, sollicitâ operâ parentum Tuorum, honestissimis artium liberalium disciplinis deditus, adeo in earundem præstantissimo gradiebaris studio, vt intra paucorum annorum spacium, encyclopediam scientiarum, videreris possedisse. Quis in illo Gymnasiorum puluere fastidioso, Te bonas artes tractante, ad conquirenda doctrinæ mercimonia Te vnquam sagacior erat conquisitor? quis ad excolendum animum crebris exercitiorum concertationibus expeditior, ac promptior inueniebatur? quis illo tempore tuorum commilitonũ, in cursu hoc per quàm arduo, ad hanc quam tu spectabas eruditionis metam, Athleta robustior? quis insuper in cõcoquendis molestijs succrescenti iuuentæ summopere ad sustinendũ grauissimis, in illo ætatis flexu imbecillo, etiam diligens literarum Alumnus patiẽtior Te extiterat? profectò ipse extitisti, dum tam graue, tam formidolosum, tam asperum pondus, & corpus tuum tum tenerum sæuissimè opprimens, forti ac alacri animo superasti. Non te importunæ puerilis consuetudinis occupationes, à suscepto artium perdiscendarum proposito amouebant, verùm genuinus nobilitatis igniculus, tanquam generosæ indolis adolescentem, vt nunquam ab ijs destitisses, inflammabat. Non suscepta facinorosorum familiarium

liarium conuenticula, compositos vel maximè mores inculpatæ vitæ Tyronum corrumpentia, Te à gymnasticis receptaculis alienare potuerant; sed magis viua exercitatissimorum virorum exempla, vt in dies vberiora accepisses in eis incrementa, sedulò promouebant, stimulabant. Non fucata spurcissimarum voluptatum bladimenta, si non veriùs dicam deliramenta, à tanto studiorum bono, quorum desiderio ingenti semper tenebaris, suis venenatis aculeis, ruinam ætati immaturæ minitantibus, quouis modo deturbare attentabant; sed ductrix ac tutatrix Tua probitas, quam cum lacte materno in infantia constitutus suxisti, ad hanc animi solidā possessionē, cum summa studentium admiratione, Parentum verò haud fallaci expectatione ducebat, erigebat, excitabat. Istis itaque scientiarum cohonestamentis, dum imaginem diuinæ bonitatis, mentem videlicet instructam copiosè obtineres: absque vlla interposita mora, ex puluerulenta & æstuosa Musarum palæstra, consilio maiorum, vt Ecclesiæ Dei simul & Patriæ prodesse possis, in lucem publicam erupisti. Atque ne prauo torpesceres otio, ad Potentissimos Reges Poloniæ, tanquam ad Asyllum tutissimum diuertisti: in quorum splendidissimis aulis, omnibus politioris literaturæ hominibus, candore, pietate, moribus, & exemplo, ceu altâ mente sapientiæque thesauro præditus vir anteiuisti, præfulsisti; vt non immeritò duorum animos Principum in amorem Tui ipsius pellexeris, attraxeris. Cùm viderent manifestissimè magnanimi Heroes, quantum vis ingenij, quantum eruditionis dexteritas, quantum expolitæ rationis præcoctum iudicium, ad quæuis mu-

nia in Republica obeunda, maximè tamen Ecclesiæ in Te valuerunt. Qua de causa alter illorum non frustratus sua opinione, Episcopam Vendensem in vlterioribus Regni finibus plantatam, commiserat tuæ fidei gubernandam. Adeo suis ouibus illique Ecclesiæ placueras, vt plerumque ab omnibus communis Parens vocitabaris: adeo pastoris vigilantissimi in administranda illa Diæcesi officio fungebaris, vt Præsul dignissimus, cælitus quasi ad custodiendum ouile Christi missus habebaris. Quis enim tuorum antecessorum, Vendensis Ecclesiæ clauam olim tenentium, præsertim in medio sceleratissimæ plebis, hæreseos maleuolentiâ infectæ quæque nefaria veris Orthodoxæ fidei cultoribus molientis viuacior vnquam fuit repressor? profectò ipse fuisti non modò repressor, verùm etiam genuius tanquam domestici latrocinij extinctor. Quis sacrorum acrior defensor templorum? quâ domi, quà foris, quà publicè, quà priuatim extitit aliquando ipse extitisti, dum noxijs errorum iniquinamentis à condemnata infidelium prauitate illa in regione longè latèque disseminatis, fortiter restitisti. Omnes propemodum vires, omnes conatus, omnes cogitatus eò dirigebas, vt Ecclesiam Vendensem ab impetionibus hostium infestissimorum sine intermissione defenderes. Testantur hoc, me ipso tacente orbata in honorem Præpotentis Dei extructa domicilia, quæ quotidie Tuam in suis ornamentis deprædicant liberalitatem; testantur Sacrati diuinorum officiorum ministri, quorum fluctuantem non nihil in suo statu vitam, tanquam ex infelici Metamorphosi in meliorem transformasti conditionem;

onem; vniuersi deinde ac singuli Vendensis Archidiæceseos incolæ, qui factorum tuorum fuêre rigidi censores, absque vlla assentationis suspicione fatentur, quomodo cultum diuinum zelo pietatis inflammatus, per continuum in vinea Christi propagabas laborem: Diuinæ verò Maiestatis honorem, tanquam obsequentissimus Assertoris ac vindicis libertatis nostræ Apostolus, inter gentem natione barbaram, moribus incultam, vita asperam, mirifica cum animi submissione euehebas, atq; postmodũ euectũ, vt lucratus fuisses innumerabiles, maximo omnium Põtifici animas, exulceratis hominũ mentibus, non immemor sui officij peramanter instillabas, & instillatũ, ad æuiternam Patriæ cælestis immortalitatem possidendam, vt in viam huiusce felicitatis consequendæ inclinasses; pertinaci studio promouebas. O Pontificem hâc temporum iniquitate, vniuersis sub vexillo Saluatoris mundi militãtibus exoptandum! O Pastorem nullis vnquam laudum encomijs celebrandum! ob tanta in omnes bonos merita admirandal O Virum per innumerabilem annorum seriem, nunquam intermoriturâ æternitatis famâ dignissimum, in cuius vita integerrima, salus ac tota integritas Vendensis Ecclesiæ, velut Herculeâ columnâ nitebatur. Agnouisti in pietate promouenda Tui Supremi Sacerdotis spiritum feruentissimum, in administrandis Diuini cultus officijs sedulitatem, in defendendo patrocinium, in conseruandis ac tutandis suis bonis fidelitatem, & insignem in ornando magnificentiam cognouisti. Nihil tibi defuisse sanctissimo regnante hoc Præsule fatearis est necesse. Desiderabas fortassis in grege fidelium

 custo-

custodiendo ab eo vigilantiam? nunquid in officio tanto, Pastore vero non exhibuerit tibi dignam virtutem: vitæ sanctimoniam ad imitandum credo requirebas? nunquid aliquando vel minimam impietatis labeculam in huius verè innocentissima vita, nullius sceleris conscia, nulli delicto obnoxia, conspexisti. Doctrinæ forsitan sublimitatem, cuius summo in honoris cliuo residenti Principi perutilem inuestigabas? nunquid præesse tibi attentasset, si fortissimò hoc sapientiæ Clypeo priùs obarmatus non fuisset. Profundam puto ad ædificationem populi humilitatem in eo quæritabas? nunquid tumidũ animi fastum, vel iniquam notasti phylautiam. Sed quorsum ego apud te de re tam manifesta disputo, & tanquam ex Syngrapha præclaras animi dotes recenseo, cùm tota illius Corporis Symmetria, suâ sponte loqui hæc videatur. Ac inprimis vultus in longum paulò propendens sanguine haud nimio intermixtus, nonne temperiem perturbationum, & animi moderati certissima præsefert argumenta? quid suauis oculorum aspectus? nonne humanitatis euidens præbet nobis documentum; quid mens generosa, saluberrima vt plurimùm consilia, pro regimine rectè ducendo præmeditans, & virum in alto dignitatis cacumine collocatum maiorem in modum commendans, quid inquam nos de se iubeat sentire: nisi vt Præsulem consilio grauem, iudicio maturum, & ad quoduis præclarè facinus aggrediendum, promptum atque paratũ intelligamus. Quid insuper speciosa, & in vnum coadunata corporis fabrica autumat? nonne raram erga cuiusuis status, fortunæ ac conditionis homines, propensionem

nem animi, facilè ominatur. Atque adeò naturæ ipsius beneficio est efformatus, vt ad gubernãdam cælestis Sponsi vineam, natus & enutritus esse videatur. Cùm verò vberrimam præstantissimorum meritorum materiem, in Te vno supremus Moderator nunc felicissimis auspicijs Sarmatici Regni gubernacula tenentis adspexit: Metropolitanæ Ecclesiæ Leopoliensi vt præsideas, extra omnẽ controuersiæ aleam, in sedem honorificentissimam efferre Te concupiuit. Quotusquisque enim erat, qui hunc celeberrimum atque in spatiosæ Russiæ partibus longè primarium locum, cum immenso Ecclesiæ decore posset gubernare? Nemo me hercule in clarissimo hoc cæli Sarmatici Areopago inueniebatur, præter Te, ad fasces Archiepiscopalis honoris obtinendas; quem communis vox populi, vota ciuium consentánea, maximaque Sacerdotum desideria, in peruagato ciuitatis sermone, tanquam numerosa Isráëlitici quondam populi multitudo, Moysen & Aaronem deposcebant. Magnam ego in admirationem rapiebar ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE ARCHIPRÆSVL, dum intra abditos mentis meæ recessus, crebris ac iteratis vicibus voluebam animo meo, quid esset causæ, cur superstite felicissimæ olim recordationis gloriosissimo viro, tuo Antecessore proximo, vniuersa Leopoliensis ciuitas, cum indigenis adiacentibus, quasi per sensum indigenitalem, Te Pastorem suum vbilibet locorum Summo consensu ingeminabat; nisi quòd Tua probata in medio sui prius specularetur facinora, subitò Te suum Principem præsentiebat futurum. In cuius singulari patrocinio, tanquam sub diuino palla-

dio, vel forti Achyllis clypeo placidissimè conquiescere exoptauit: quia Tuâ regente dexterâ, perarduam hanc æquè ac laboriosam, quam haud ita pridem nactus es Prouinciam, in flore ac pristino vigore Te conseruaturum non dubiâ spe persensit. Reflorescet Te Pastore Vigilantissimo Clerus, ad virtutum perfectionem, administrabit rectè pieq; Sacramenta, visitabit & solabitur ægrotos, non præbebit malum exemplum suis Auditoribus, vitabit ambitionem & auaritiam, erit amans concordiæ: non ad seditionis tumultus occasionem vulgo præbebit, arguet magnâ libertate hominum vitia, non terrebitur minis aduersariorum, expugnabit constanter hæresim, & blasphemiam, excutiet Schismatû tenebras plusquam cymerias, lucem præterea amænissimam veritatis excitabit: atq; adeò propter Sacrosancti Confessionem Euangelij, patienter ferret persecutionem; vt odia, exilia, spoliationes bonorum, ipsam denique vitam quâ nihil dulcius, nihil præstantius, nihil exoptabilius à communi rerum omnium Parente natura mortalium generi concessum est, non perhorrescet si opus fuerit profundere. Bona Ecclesiastica diripi, alienari, ad profanos vsus conuerti, vel in fiscum alicuius transmoueri, nequaquam patietur. Atque vt multa in pauca conferam, omnia sarta tectaque Te imperante Archidiæcesis Leopoliensis est habitura. Quid verò in Magistratus honore constituti viri, ob concessam Tibi tantam gloriam obtinêre, difficile dictu est, sin momenta rationum rei istius contendero recensere. Magnum etenim ac operosum laboris onus est, Senatoriæ dignitati ceruices supponere, in qua præclarè dum regeris

ILLV-

ILLVSRISSIME DOMINE, quotusquisque bonorum ciuium inuenietur, qui non extollat Te sapientissimum florentissimi Regni Polonorum Senatorem: qui auxiliares non semel manus, periclitanti Reip: porrigis, vt verus Patriæ Propugnator efficereris: in tutanda omnium libertate noctu diuq; inuigilas, ne legum authoritas, decretorum maiestas, priuilegiorum integritas, & quorumuis Constitutionum vis atque robur firmissimum, per immanissimam sceleratorum hominum audaciam, ne imminuatur tempestiuè prouides. Maiorum Sacrosanctam consuetudinem, quæ memoriâ sæculorum omnium duratura est, excindi per temerarios ausus, nequaquam permittis & funestari. Loquitur hæc Tua merita, templum illud sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, ara sociorum, portus omniū Sarmaticarum gentium, (Senatum intelligo.) Testantur plurimæ in accipiendis à Te beneficijs ciuitates, pro quarum salute ac incolumitate, veluti pro aris & focis, etiam cum aliorum inuidentia felicissimè dimicasti: sed longè hoc cæteris contestatur, Princeps vrbs Russiæ Leopolis; optimis ingenijs feracissima, syderum benignitate felicissima, ædificiorum splendore nobilissima, agrorum vbertate, camporum amænitate, montium præsidijs & aspectu, ciuium humanitate, candore, sapientiâ celeberrima; quæ vrbs habet quendam benignissimum influxum, liberalissimumq; ingenijs fauentissimum Planetam, vel ipsam quæ Athenis præsidebat olim præsidem Palladem ; Cùm quisquis in hac vrbe natus sit, aut acutus Poëta, aut neruosus Orator, aut subtilis Philosophus, aut præstans Medicus, aut Iuris Sacerdos

 eximi-

eximius, aut profundus Theologus, aut omnium ſcientiarum arbiter præſtantiſſimus habebatur. Hæc vrbs inquam, tam eximijs, tam exquiſitis, tam inæſtimabilibus ſummi rerum effectoris ac naturæ ipſius ornamentis condecorata, Te magnum Senatorem, ad conſeruandam integritatem ſuam exortum, Ampliſſimumq́ue ſuum Mecænatem, mirum in modum exultans ſalutat. An non frequens de induſtria nomine S. R. Maieſtatis in Ruſſiam expeditus, pro reſoluẽdis ac ſopiendis inter litigantes difficultatibus, fuiſti Leopoli ad Senſum expoſitus? dum optimi functus officio internuntij, abſtruſas cauſas enodabas, quæ Tuâ dexteritate finem ſortiebantur exoptatum. An pendebat animi quiſquam? in biuione hærebat? nec rationem huius rei non habebat exploratam? quomodo temeritati reſiſtebas, quomodo negligentiam, malorum perſæpè in rebus humanis prænuntiam improbabas; tum quomodo ad mutuam animorum conſenſionem, vtrique parti in ſuo ſtatu tranquillitatem exoptans, moderatione Tuâ ac placabilitate, mirificâ quadam ratione inducebas. Omnibus, in bonis vbertatem, in animis ſanctitatem, vt proſpero rerum ſucceſſu, per innumerabilem annorum ſeriem, vniuerſum mortalium genus frueretur, percupidus apprecabaris. Hinc iam faſces Dominationis ſuæ Leopolis, tanquam lumini ac ornamento ſuo, abſque vlla tergiuerſatione, in patrocinio perlibens ſubmittere Tibi regendas, non dubitabit: cùm præſagâ vigilantis Principis mente accuratè præuideat, quantùm Tuo iudicio grauiſſimo, quantùm prudentiâ incredibili, quantùm fortitudine heroicâ, iuſtitia diuinâ, authoritate ſingulari, in

lari, in

lari, in bono suo communi propagando, quantùm inquam emolumentorum sis allaturus. Iam Leopoli seditionum perturbationes, publicæ trãquillitatis turbatrices, per insolentiam à facinorosis non excitabuntur hominibus, verùm Tua omnibus periucunda præsentia, radix ac origo earum, tãquam lernæa multorum capitum hydra, de medio nobilissimi loci protrudetur. Non dissensionum motus, mutuam humani generis disrumpentes consociationem, cum ingenti iactura Vrbis, per domos, per forum, plateas, Vicos, ac compita grassabuntur: sed pax exoptata, bonorum omnium aggregationem perenni tempore adaugens: hæc omnia, vt in tuto tanquam portu desideratissimo conquiescant; Te auctore obseruabitur Sanctissimè. Non simultatũ fallaciarumq; venena atrocissima, solidam in rebus peragendis ciuiũ fidem frangentia, nec non irreuocabilem suis auctoribus machinantia ruinam dominabũtur: sed amor cõcatenatus, indissolubilẽ amicitiæ nexum progenerans, atque quibusdam gradibus ad felicitatem ciuilem iter demonstrans, in suo statu permanebit firmissimo. Quapropter felicem te ô Leopolis prædico, dum te Metropolim vniuersæ Russiæ, Prouinciæ feracissimæ agnosco: feliciorem iudico, dum ciues pace, concordiâ, amore, religione, fide, copulatos foueas: sed inde te felicissimam existimo, dum ILLVSTRSSIMVM AC REVERENDISSIMVM D. NICOLAVM KROSNOWSKI, splendidissimum Vrbis tuæ lumen ac columen, in sago & toga longè grauissimum, tanquam sapientiâ & virtute singulari celeberrimum virum, Tuis templis, tectis, parietibus, dominantem conspicio; in spem non du-

biam erigor, tuam nominis immortalitatem, in innumeram annorum seriem constantissimè duraturam: quam posteritas alet, diuturnus temporum cursus propagabit, ipsa æternitas sẽper intuebitur sine intermissione. Adeò enim inclarésces, præclaris NICOLAI KROSNOWSKI ingenij ac animi dotibus, vt tuam felicitatem, ab huius viri vnius maiestate sis habitura perennem. Sed ne longiùs à proposito mea deflectat Oratio. Reuoca quæso tibi in memoriam, prima illa enascentis Reipublicæ Romanæ incunabula, reuoca excrescentis amplissimi imperij originem, Consule exterarum gentium de ea iudicium, perlustra annales antiquitatis, volue & reuolue historiarum monumenta: quo tandem pacto Respublica Romana, in tantam adoleuerit maturitatem. Quæris quibus fundamentis stabilium, illud cæteris facilè antecelluerit? Consulum autoritas atq; fortitudo effecit. Numera ILLVSTRISSIME DOMINE si potes illa orbis vniuersi miracula, Decios, Marios, Scipiadas, Catones, Metellos, Scæuolas, Pompeios, Tullios, Fabricios, Coruinos, Augustos: sed inter hos maximè aciem oculorum tuorum conijcias in Magnum Camillum, & ex fidelissimis historiographorum monumentis, deprome Tibi illud considerandum admirabile dicti paradigma. *Regnante Camillo Roma capi non potuit.* Quid? nonne hoc laudis Tuæ Symbolum est? An verò ILLVSRISSIMO NICOLAO KROSNOWSKI, Pastore Tuo fauentissimo, ô inclyta vrbium Leopolis, tantùm abest, capi te à quoquam hostium patieris: quin potiùs florens ac beata cum Tuis ciuibus permanebis, seræ posteritati semper commendanda. Iam ergo in spem maximam

ximam, & quemadmodum confido verissimam adducta es, vt hunc annum cæterosque subsequentes, concussâ maleuolorum licentiâ, cupiditatibus fractis, legibus & iudicijs constitutis, beneficio Senatoris Tui, tibi fore salutem augureris. An verò etiam ILLVSTRISSIME DOMINE à Tuo cõplexu, inferioris homines cõditionis remouebo? Propter quorũ vitam ac incolumitatẽ, ab acerbissimis infernorũ pyratis, non dicam defendendũ istum gregem, sed omninò conseruandum suscepisti. Etenim iuxta Diuinum illum Gentium Doctorem & cælestem tubam Paulum sanctum, Te assumptum ac electum Pastorem, ille inficias iuerit, qui ab humanitate exutus, atque prorsus à sensibus alienus est. Dum inueteratâ quâdam consuetudine receptum esse, rudis ac imperitæ plebis in animis videamus, quòd adspirare ad meliorem vitæ frugem, nec non ad nobilissimarum exercitationem virtutum, inhians præsertim mundanis vanitatum inquinamentis, erigere sese nequaquam valeat; nisi priùs Sapientissimum actionum suarum Directorem, tanquam verissimum vitæ exemplar, ante oculos positam habuerit. In multos statim erratorum Labyrinthos prolabitur, optimam viuendi rationem iuxta mandatum legis Diuinæ præscriptam, commutat in deteriorem; laborum pertæsa, impatiens iniuriæ, luxuriæ auida, insolentiæ studiosa, ac nonnunquam quod animus meminisse reformidat, animi sanctitatis, necnon Diuinæ benignitatis oblita, in omnium malorum præcipitium, cæco impetu ruit insperatè. Fingamus animo, liberæ enim sunt cogitationes nostræ, & quæ volunt sic intuentur, vt ea cernimus quæ videmus: fingamus inquam imaginem,

variæ ac commutabilis plebeculæ, videbimus profectò quomodo ex illius parte petulantia pugnat cum pudore, fraudatio cum fide, scelus cum pietate, furor cum constantia, turpitudo cum honestate, libido cum continentia; luxuria, ignauia, temeritas, cum æquitate, temperantia, fortitudine, prudentia, omnia vitia cum omnibus virtutibus certant: postremò amentia cum recto iudicio, cum proteruia sana mens, denique omnium rerum desperatio cum bona spe confligit assiduè. Quocirca tumultuantem eiusmodi plebem, ac tantis diffluentē nequitijs, qui aliquando in cancellis honestatis positam esse vellet, & vt à tanta prauitatis colluuie resipisceret, probitatis verò vitæ honestissimorumq; factorū sit amantissima; vnicū in medio sui sanctissimū moderatorē, ad corrigendam suam deprauatam naturam, deposcere videtur manifestè. Non aliter nisi vt splendidissimus totius mundi ocellus sol, non tantummodo Sphæras illas cælestes, simulque peramplū hoc terreni globi spacium, lumine proprio illustrat, verùm etiam totum vniuersum, in longissima spatia, à supremo rerum omnium fabricatore Deo extensum, radijs clarissimis circumdat vndiquaque: Ita numerosam plebis multitudinem, sub vnius imperio contentam, vt anima rerum ordo constantissimè seruaretur, vnus populi Præses, innocentia vitæ, morumque integritate collustratus, ad sanctè ducendam vitam populo requiritur: à quo normam benè beatèque viuendi, & optimas regulas quæque nefaria inhibentes, toto vitæ suæ curriculo caperet obseruandas. Sed quemnam obsecro deprauatis ac corruptis plebis Borussiaci moribus, sanctioris ac innocentio-

centio-

cētioris vitæ Præsidē assignabimus? nisi Te ILLVSRISSIME DOMINE, ad tanti muneris officium obeundum, ab ipsis ferè incunabulis, cum maxima hilaritate, & mirâ iucunditate editum; Te inquam tanquam supremum caput, & vniuersi populi gemmam preciosissimam in medio tam perditæ congregationis collocari, ex voto nuncupamus. Qui cognoscendæ Borussorum naturæ, (quæ spurcissimâ Schismatis leprâ infecta; ad furta, incendia, homicidia, adulteria, rapinas, veneficia, & alios quosque temerarios ausus, quasi naturæ enthusiasmo procliuis esse videatur:) non modò diligens scrutator fuisti, verùm etiam quod incredibile dictu est, ipsorum animorum, viuam præpotentis Dei imaginem significantium, extitisti stupendus moderator. Vt iam augurari liceat, qualia genti Borussiacæ antidota, pro tantis eiusdem infirmitatibus, ceu fidelis animarum curator, debeas subministrare. Expostulabunt à te indocti veram Dei cognitionem, doceri eos per sacros literatorum ordines, precupiens illis immarcescibilem æternæ felicitatis coronam, abundè nequaquam grauaberis: indigebunt maligni toxico peccatorum infascinati peccatores, in corrigendis vitæ erroribus, Tuo vt illis medearis auxilio: Tu verò veluti alter Ambrosius, tantæ malorum ægritudini, cælestes ambrosias haud grauatim applicabis. Desiderabunt alij suauiloquam verbi Diuini prædicationem, Tu verò veluti Augustissimum lumen Ecclesiæ Diuus Augustinus, adamantina maleuolorum pectora, per præcones diuinos in primis illustrabis, & illustrata ad aliarum virtutum studia accendes amplectenda.

Quid dicam de afflictis immensâque rerum penuriâ oppressis? quorum prægnantibus necessitatibus, ex deuotissimo pietatis spiritu, vnusquisq; religiosissimo cultui numinis Diuinissimi consecratus, subsidium ferre in animo obligatur; quid dicam inquam quomodo liberali munificentiâ, & munificâ beneuolentiâ, tanquam Aristides iustissimus, auxiliaberis extremæ pauperum egestati: dubium animum habere non possumus, cùm frequentissimè ac pænè quotidie videamus, manifestissima huius rei in Te argumenta. Taceo amorem electo populo Dei, à te semper pro tua mirifica in vnumquenque officiorum promptitudine etiam exhibitum, ac deinceps exhibendum. Non commemoro admirandam in rebus citra vituperationis notam peragendis dexteritatem, per multorum dierum atque annorum interualla tecum duraturam fælicissimè. Prætermitto heroicis pectoribus dignissimam virtutem nimirum liberalitatem, genuinam Tui amplissimi nominis propagatricem commendandam; quæ non modò in visceribus Regni Sarmatici perennatura est, sed vltra fines Patriæ, fontem perennem gloriæ, tanquam liberali Tito Vespasiano est productura. Nihil dico de autoritate, prudentia, magnanimitate, iustititia, grauitate, religione, pietate, affabilitate, alijsque infinitis animi & corporis dotibus pulcherrimis. His ergo Diuinissimis dotibus, ceu validissimis catapultis, populum, cùm illi Pastor & Vindex, Parens & Patronus, moderator & medicus salutaris, Iudex & Conciliator præeris: æterni ac immortalis Sponsi, sanctissimis cælestium regnorum palatijs, ad nuptias inusitatâ atque nusquam auditâ rerum affluentiâ

fluētiâ abundantes, veſtibus precioſiſſimis, Margaritis lapidibuſque plurimi pretij contextis, reduces omni ſæculo exornandum. Iam ergo aſſume gemmeam cum ſacris tænijs pietatis & deuotionis Infulam, ac eâ fauſtum operito caput, ſuſcipe in circulo rotundum vigilantiæ galerum, quo ab æſtu inimicæ impetitionis gregi Tibi commiſſo, vmbram facias; apprehende ſacratum ſacri regiminis cum cruce pedum, quo aberrantes Chriſti oues dirigas: indue ob diuinum amorem puriſſimum D. Petri Pallium, quo Prælatos ad Dei obſequia potenter munias, ijs omnibus proſper, Eccleſiam Tuæ fidei diuinitùs cōmiſſam, æuiternè gubernes, Senatus peraugufti ampliſſimā ſedem, cum ingenti Reipublicæ noſtræ emolumento, ſalutiferis conſilijs adiuues, & gregem Chriſti ad amæniſſimum, æquè ac iucundiſſimū locum, vbi viridaria circumdata viuaci ſmaragdo, cæleſti florum vigent amænitate, & germina Angelicis manibus, pulchrum in modum inſerta, flagrantiſſimū emittunt odorem, dexterâ Tuæ potentiæ dirigas, reducas. Cùm verò Te Duce Eccleſia Dei verum Pontificem, Reſpublica digniſſimum Senatorem, & populus vniuerſus vigilantiſſimū Paſtorē ſortiantur: Muſæ in primis atq; charites quietiſſimæ, nomen Tuum glorioſum, tanquā immortalē cælo Mnemoſynon inſerēt: ſub cuius gratiæ præſidijs cōquieſcere volentes, ad Næſtoris & Pompilij annos vt incolumis ac ſummi Pōtificis benedictione, dignitatem hāc, quâ prę fulges regas: prouolutæ ad pedes Tuos, ſupplicibus Votis Tibi gratulantur, atq; fauſta quæq;, proſpera, felicia, ſummo animorum conſenſu comprecantur.

D I X I.